



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

SS. Mauritius Et Soc. MM. 21. Februarii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

SS. MAURITIUS ET SOC. MM.

21. Februarii.

NUnquam tam fortiter pro suâ urbe Romanus miles, quam pro fide Romanâ MAVRITIVS cum sociis depugnavit, Thebæ Legionis Antesignano ut nomine, ita virtute par, & cum eodem Religionis hoste Maximiano Apameæ compositus, quem prior ille Agauni in Galliâ superavit. Pugnabat tyrannus in pium agmen vinculis, flagris, uncis, equuleo, ferro ac flammis; ingerebat quidquid telorum carnificum turbæ suggerebant. Sed stabat immota ad hæc omnia fortissima Martyrum phalanx: gaudebat in vinculis, ridebat ad flagra, hebetabat uncas ac ferrū, oyabat in equuleo, in flammis triumphabat etiam. Quare ad dolos confugere coactus Imperator, cuniculis invictum MAVRITII animum tentare aggressus est. Addicitur proinde morti filius Photinus, & per hujus jugulum parentis cor petitur; sed repulit affectum paternum facile Christi amor, & vicit iterum in filio parens. Locus erat medius paludem inter & flumen, muscis, vespis, & id genus animalculorum examinibus infessus. Hic ultimum committit Maximianus. Pendet in oculis paternis filii corpus, scopus omnium militum jaculis ac sagittis; & quot mortuum accipit vulnera, tot vivo parenti reddit. Stat interim nudus in acie cum suis MAVRITIVS, palo alligatus, melle illitus, innumeris vesparum aculeis confossus, & tamen vel sic etiam victor triumphat in parvis bestiolis maximum tyrannum; mortemque demum obit melle, quo manabat, dulciorem. *Ex Men.*

Nemo dicat, quod temporibus nostris Martyrum certamina

tamina esse non possint: Habet enim & pax nostra Martyres suos: Nam iracundiam mitigare, libidinem fugere, justitiam custodire, avaritiam contemnere, superbiam humiliare, pars magna Martyrii est. S. Aug. serm. 250. de Temp.

S. PETRUS DAMIANI. 22. Februarii.

Dubites magisne primò fortuna PETRVM, an PETRVS deinde fortunam fugerit. Infans fame siti que periisset, nisi ubera, quæ mater dicam an noverca? morituro negaverat, aliena nutrix præbuisset. A fratre natu maximo porcis pascendis præfectus cum nummũ reperisset argenteum, cogitanti in quas potius illecebras eum expenderet, sanctior cogitatio persuasit Sacerdoti dare sacra facturo. A Damiano denique fratre, cujus velut patroni nomen postea tulit, literis admotus, eas primò celeriter didicit, mox etiam applaudente Italiã docuit; sed memor injuriarum, quibus mundus eum exercuerat, blandientem jam & ipse averfatus, inter summos honores, corpus cœpit duriter habere, æstum libidinis rigentibus aquis mergere, sub veste splendidã cilicium occultare; denique inter Anachoretas se abdere, ibique è discipulo magister sanctioris vitæ miraculis coruscare. Tantam virtutem Pontifex purpurã ornavit; quam cum nemo unquam dignius, & majore Ecclesiæ bono tulisset, anno M.LXXII. cum vitã posuit; vel eo solo nomine, quòd Officium Horarium D. Virgini sacrum in memoriam & usum pristinum revocavit, omnibus Sodalibus memorandus, ex cujus divinissimis scriptis, vel hos versiculos, quos suo tumulo inscripsit, recoluisse operæ pretium sit:

Vive